

tentias Imperiales Directoribus Circulorum competente; 2. Ill. Dn. CHRISTIANUS THOMASIIUS, in *Thesib. Juris publ. oppositis Dissertat. Anonym. de Offic. Director. & Duc. Circular. in Execut. Sententiarum.* Tum & 3. Autor der gründlichen Behauptung des Reichs und der Craysen Gerechtigkeit die Vollziehung der Urtheil betreffend. Quorum Scriptorum omnium robur in nuce videas apud Excell. Dn. PFEFFINGERUM in *Commentar. ad Vitriar. Inst. Jur. publ. Tom. II. Libr. II. Tit. 6. §. 16. not. a. p. m. 1106. sqq.*

§. 5.

Etenim cum sit certum exploratumque, eum vel maximè in finem omne illud vastum moleque suâ ruens Imperii nostri Romano-Germanici corpus in quatuor primùm ab Alberto II. (1) postea in sex, denique & in decem partes sive Circulos à Maximiliano I. esse distributum, ut eò facilior promptiorque eorum operâ foret pacis & tranquillitatis publicæ executio atque defensio, (2) id in mentem oculosque cuius statim labi necesse est, ea insimul Circulis indulta tributaque esse Jura, eam potestatem, sine quâ effectu necessariò destitui debuisset optimum optimorum Imperatorum institutum.

(1) Quam Imperii divisionem non mente scriptisque solùm conceptam, sed re ipsâ Executioni esse mandatam contra dubia à B. de COCCEJUS in *Jur. publ. prudent. Cap. 33. Append. 3. §. 41. p. m. 550.* aliisque mota suò locò atque tempore demonstrabimus.

(2) *Vid. Constitut. Alberti II. §. Und den Worten.* apud B. JO. SCHILTERUM in *Instit. Jur. publ. Tom. II. Tit. 19. p. m. 339. Conf. quoque Ordin. Regiment. de Ann. 1500. Tit. 1. Recess. Imp. Colon. & Trevir. de Ann. 1512. prior. §. 9. 10. 11.* Hinc quoque cum & Electores Imperii, & Archiduces Austriæ tanquam Principes armipotentes satis essent tuti ab insultibus aliorum Statuum, suisque in Territoriis Executionem pacis publicæ ipsimet procurare possent, primâ ista in Sex Circulos divisione, illis, quos nominavimus, omissis, minoribus tantùm Statibus fuit prospectum, hique soli tùm in Circulos fuere redacti. *Vid. cit. Ordin. Regiment. Tit. 5. & Exc. Dn. JAC. CAROLUS SPENER in Histor. German. univ. & pragm. Tom. II. Libr. III. cap. 4. §. 7. p. m. 349.*

§. 6.